



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**D. D. Emanuelis Gonzalez Tellez, In Inclyta Salmanticensi  
Academia Collegii Majoris Conchensis Alumni, &  
antiquioris vespertinæ Sacrorum Canonum Cathedræ  
propriarii Interpretis; in Pinciano Sanctæ ...**

Additis Notis uberioribus ab Historia, & Chorographia

Complectens Librum Qvintum

**González Téllez, Emanuel**

**Francofurti Ad Moenum, 1690**

Capvt II. Idem super a Danielelem.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74544](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74544)



Covat. in cap. alma. 1. part. 8. num. 8. dicendum est cum Gibalino, & Balboa ubi supra, Fermosino in cap. cum non ab homine, quest. 3. de iudiciis, in eo textu non affirmari, necessario exprimentam esse speciem excommunicationis à reo excipiente, siquidem id superfluum esset, tum ex presenti textu, tum ex eo, quia tantum excommunicatio major repellit a iudicio, ut probavi in cap. intelleximus, de iudiciis, cap. 2. de except. sed tan-

tum decerni, allegandam esse causam specialem excommunicationis, quia cum in §. si vero, ipsius textus dicatur, probandam esse exceptionem intra octiduum apertis documentis, id nulla ratione fieri poterat, allegatà tantum excommunicatione in genere, nisi illius causa specialis, quæ intra illum terminum probari possit, exprimeretur. Latius prosequuntur Balboa, & Primarij nostri in dicto cap. 2. de except.

## CAPUT LX.

a Idem.

PUERIS, qui in canonem inciderunt sententiæ promulgatæ, sive ante, sive post pubertatem postulent se absolvi, potest diœcesanus Episcopus absolutionis beneficium impertiri: cum propter defectum ætatis, in qua fuit commissus excessus, rigor sit mansuetudine temperandus.

NOTÆ.

a [Idem.] Gregorius videlicet IX. Textum hunc exposui supra in cap. 1.

## TITULUS XL.

De verborum significatione.

## CAPUT PRIMVM.

a Hieronymus super Osee.

INNOVATE novale. Novale est ager nunc primùm præcisus.

NOTÆ.

I. a Hieronymus. ] Ita etiam legitur in prima collectione, sub hoc tit. cap. final. sed non reperiuntur hæc verba in commentariis ipsius S. Do-

ctoris super Prophetam Oseam: extant tamen in Glossa, quæ vulgò interlinearis dicitur, ubi ad ea verba Prophetæ Osee cap. 10. *Seminate vobis injustitiam, & metite in ore misericordie: innovate vobis novale, legitur: Novale est ager nunc primùm præcisus.*

## CAPUT II.

Idem super a Danielelem.

NAM & Rex Nabuchodonosor pater tuus, idest proavus, more b Scripturæ, quæ avos, & deinceps patres appellat.

NOTÆ.

diximus, proavum ejus, secundum consuetudinem Scripturarum.

I. a Danielelem. ] Ita etiam legitur in prima collectione, sub hoc tit. cap. 1. & priora illa verba reperiuntur in cap. 1. Danielis, videlicet: *Nam Rex Nabuchodonosor pater tuus; ubi ea D. Hieronymus ita exponit. Quod autem Balthazaris patrem Nabuchodonosor vocat, non facit errorem scientibus sacra Scriptura consuetudinem, quæ patres omnes proavi, & majores vocantur. Et ad illa verba: In diebus patris tui, ait: Et in diebus patris tui. Patrem vocat Nabuchodonosor, ut supra*

b Scripturæ. ] Et etiam jure civili attento, juxta communem interpretationem, patris nomine avus quoque continetur, l. iusta 201. ff. de V. S. ubi Gentilis, & Fornerius. Nec tantum avus paternus, verum & maternus, l. ut. in fine, Cod. communia utriusque judic. immò & omnes ascendentes, ut docent Chasseneus in consuet. Burgundia, rubrica 751. Acacius Ripol de privil. parent. in prolog. num. 36. qui inde explicat textus in lege Julia, ff. de ritu nupt. l. filium habeo, ff. ad Maced.